

stere incipit, totum simul existere debet, ideoque entis simplicis ortus non fit in tempore, sed est instantaneus. Simili ratione si ens simplex intereat, in instanti annihilatur; etenim cum indivisibile sit, fieri non potest, ut existere desinat & ejus pars aliqua existat: quare si intereat annihilatur & quidem in instanti, cum non nisi totum desinere possit.

## ARTICULUS II.

*De Ente finite, & infinito.*

I. **F**initum seu limitatum vulgo definitur id, quo majus concipi potest; distinctam entis finiti notionem explicabimus. Quodlibet ens finitum variis mutationibus obnoxium esse potest; in eo enim concipere licet modos plurimos, qui adesse & abesse possunt. Verum quia modi aliqui aliis sunt contrarii, evidens est modos illos omnes simul esse non posse, ac proinde ens finitum status omnes possibiles simul habere nequit, sed successive; ita E. G. lapis calidus esse potest, aut frigidus, sed calidus & frigidus simul esse nequit. Igitur ens finitum definire possumus, in quo omnia simul esse nequeunt, quæ eidem actu inesse possunt; & contraria ratione ens *infinitum* potest definiri, in quo sunt omnia, quæ eidem actu inesse possunt.

II. Cum in ente infinito simul sint omnia, quæ inesse possunt, nulla in eo actu mutabilia sunt. Per *mutabilia* intelligimus ea, quæ actu mutantur; non enim repu-  
gnat